

necessaria episcopum Bambergensem papam constituunt; Clemens *nominatus*.

[II 79] Quo post IX menses defuncto iterum Benedictus circa 8 menses violenter *papatum obtinuit*; quo scilicet *Benedicto iterum reiecto imperator misit episcopum Brixenorum*; quo etiam post 23 dies *defuncto*, fit Bruno Tullensis episcopus Teutonicus natione ex stirpe regali progenitus, *Leo vocatus et sanctus*.

[II 86] Defuncto sancte memorie papa Leone Hildebrandus Romane ecclesie subdiaconus ad imperatorem a Romanis transmissus est, ut quoniam in Romana ecclesia persona ad tantum officium ydonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipse in Romanum pontificem elegisset, adduceret. Quod cum imperator assensus fuisset et Gebhardum Eistetensem episcopum Hildebrandus ex industria ex [sic!] consilio Romanorum expetivisset, tristis super hoc valde imperator effectus est; nimis enim illum carum habebat. Hunc ergo Hildebrandus invito licet imperatore, invito etiam ipso episcopo, propter quod utique postmodum dictus est monachos non amasse, Romam secum adduxit, eique nomen Victoris imponens Romanum papam cunctorum assensu constituit.

[II 94] *Post hunc F(ridericus) a Romanis assumptus Stefanus nominatur*.

[II 99] Quo defuncto quidam potentes Romanorum Iohannem Veliter-nensem episcopum papam constituunt Benedicti nomine illi imposito. Quod cum Petrus Damiani vir valde religiosus et in secularibus ac divinis litteris a puericia studiosissimus, quem eo tempore Stefanus papa distractum ab heremo in Ostiensi ecclesia episcopum fecerat<sup>3)</sup>, comperisset, una cum ceteris cardinalibus, qui aderant, cepit quoquomodo poterat obsistere, reclamare ac terribiliter anathematizare; sed omnes tandem fautorum eius terrore compulsi per diversa coacti sunt latibula fugere. Ita a satellitibus Sathane, ut predictum ad apostolatus culmen proveheret, [...] raptus ac violenter attractus est.

[III 12] Reversus autem Hildebrandus ab imperatrice cum *audiret* a pessimis hominibus ecclesiam Romanam invasam. Florencie substitit et annuente Godfrido duce Gerardum Florentinum episcopum in Romanum papam elegit. Simulque cum ipso et duce Romam mense Ianuario venit, ubi a Romano clero et populo electus Nicolai nomen indeptus est.

[III 19] Qui prefuit 2 annos et dimidium. *Inde Anshelmus Lucensis episcopus nominatus est Alexander*. Quod cum ad aures regis eiusque matris venisset, indignacione nimia ducti, quod sine illorum consilio et auctoritate gesta fuissent, ipsi Parmensem episcopum in papam eligi

<sup>3)</sup> Petrus Damiani — fecerat: vgl. *H* fol. 147<sup>v</sup>; *Leibniz* S. 1092.